voluntati dissentire non licet, propter animi infirmitatem deponere: sed cum de Divino favore non ambigam, de vestro omnium erga me studio, animique propensione non dubitem, vestra mihi perspectissima benevolentia, et humanitate fretus plus oneris sustuli, quam, me ferre posse, intelligo. Quod tamen onus si vos, ut spero, atque opto, et silentium hoc, attentioque, et iucundissimus vester affectus pollicetur, aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, studioque ac industria sustinebo: Ut autem aliquando ad rem ipsam propius accedam, me prius de hac nova Synodo celebri, et illustri vobis facturum, postmodum eius utilitatem, ac necessitatem demonstraturum, vobis non erit ignorandum. Nostrae iam industriae partes erunt Auditores ornatissimi, ut ea, quae proponimus non minus aperte, quam breviter demonstremus, vestrae autem humanitatis, ut eadem me, qua cepistis attentione dicentem prosequamini. ~~Procreator~~ Procreator ille mundi Deus

~~Procreator ille mundi Deus~~, quem nos, etsi non videmus, tamen maxime admiramur, et colimus Auditores nobilissimi, nihil, quod quidem in terris fiat, gratius, acceptiusque habet, quam concilia, coetusque hominum iure sociatos quanto vero gratiorem, acceptioremque hanc Synodum in Dei nomine congregatam, in qua divinae religionis, et clericalis ordinis officii, ratio colitur, et futuram indicamus: cuius quidem utilitatem, necessitatemque breviter

absoluam

43

absoluam, si prius causas, ob quas Pastor noster ad eam lucubrandam, his mandandoque, indicendoque animum appulerit, quas quidem nullas alias nisi Ecclesiae suae decus, clericalis ordinis munus, animarum, quibus praeest, salutem fuisse, arbitror, ostendam. Vigilantissimus igitur Pastor noster, cui dicitur, esto vigilans, et confirma: sciens episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, videns, vel clericos, vel laicos, nisi illis quaedam praescriberentur formulae, quaedam regulae, quidam canones, in officio contineri minime posse, ad hanc scribendi operam omne suum studium, curamque converterat. Ut primum igitur hoc sane magnum, et grave Episcopale munus in hac Urbe, et Dioecesi Amerina suscepit, eo certe curam, studiumque omne suum libentissime contulit, ut saluti omnium fidei suae creditorum, consultum esse, paterna animi affectione perciperet. Non obscura suae voluntatis indicia praebuit, tum Dioecesim ipsam invisendo, tum Amerinae Ecclesiae res ita disponendo, et conformando, ut nullo modo pastorali curae defuisse, videatur. Illuc praesertim eius spectabat animus, ut iuxta sacrosanctam concilii Tridentini sanctionem, utilissima Synodi Dioecesanae (ut fit in omnibus bene gubernatis ecclesiis) comitia indiceret, et haberet. Id tamen quod fuit consilii sui, diversis, variisque

de publicis muneribus distentus

distentus negotiis, hanc ante diem perficere non valuit. Quamobrem igitur cum tam in Urbe, quam in reliqua Dioecesi correctionis aliqua (quae communis mortalium est incuria) aut moderationis, aut innovationis indigere perspiceret, ea potissimum decernenda putavit, per quae tum cleri, tum

religionem